

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Correctio bm
cum fonte primo

Qui ammonitus secrete corrigi de peccato negligit,
publice arguendus est ut uulnus quod occulte sanari nescit,
manifeste debeat emendari.
Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.
Palam enim sunt arguendi qui palam nocent
ut dum illi aperta obiurgatione sanantur,
hii qui eos imitando deliquerant corrigantur.
Dum unus corripitur, plurimi emendantur.
Melius est enim ut pro multorum saluacione unus condempnetur,
quam per unius licenciam multi periclitentur.

Ysidorus libro III. de summo bono capitulo XLVI.

Qui admonitus secretim corrigi de peccato negligit,
publice arguendus est, ut uulnus, quod occulte sanari nescit,
manifeste debeat emendari.
Manifesta peccata non sunt occulta correptione purganda.
Palam enim sunt arguendi qui palam nocent,
ut dum aperta obiurgatione sanantur,
hi qui eos imitando deliquerunt corrigantur.
Dum unus corripitur, plurimi emendantur.
Necesse est enim ut pro multorum saluacione unus condempnetur,
quam per unius licentiam multi periclitentur.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.46.12-14
(CCSL 111, P. Cazier ed., p.293, ll.61-70).